

D. O. M. A.  
DISPUTATIO THEOLOGICA,  
DE  
**ÆTERNA CON-**  
VERSIONIS OECONOMIA,  
*Ex Ezechiel XXXIII. 11.*

Quam  
Sub PRÆSIDIO  
RECTORIS h. t. MAGNIFICI,  
VIRI,

*Summè Reverendi, Amplissimi, atq; Excellentissimi*

**DN. JOH. DEUTSCHMANN,**

SS. Theol. Doct. & Prof. in alma Leucorea Publ. longè  
celeberrimi, ejusdemq; Facult. Senioris Spectatissimi,  
Alumnorum Electoralium Ephori  
Gravissimi,

*Domini Patroni, Præceptoris, & Evergetæ sui, nullò non  
observantia, pietatis, ac honoris cultu, æternùm vene-  
randi, prosequendi,*

publicè defendere sustinebit

RESPONDENS

**JOHANNES ZIEGLERUS,**

Heltâ-Transylv. SS. Th. & Ph. Stud.

*Ex B. Lutheri Cathedra,*

A. O. R. M DC LXXXIX. d. Mart. — 23.

Horis consuetis.

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ. ~~5~~ ~~10~~

diss. A

7

coll. A. 161 (7)

~~50~~

D. O. M. A.  
DIPLOMATICO THEOLOGICA  
DE  
ETERNA CON  
VERSIONIS OECOMIA  
EX FACIE XXXIII. II.

Sub PRÆSID. O.  
RECTORIS H. MAGNIFICI

DN. JOH. DE...  
22. Th. of. Doc. & Prof. in...  
Alumnorum Electorum Episcopi



Domini Patris...  
RESPONDENS

JOHANNES ZIEGLERUS,  
Hols-Tischler 22. Th. & Rh. sand.

Ex B. Lubert Carbeta,  
A. O. R. M. DE LXXIX. II. Mart. - 22

WITTEBERG  
Typis Christiani Schaeferi, Aed. Typ.

IN NOMINE JESU!

DISPUTATIO THEOLOGICÆ BIBLICÆ,  
DE AETERNA CONVERSIONIS  
OECONOMIA.

EX EZECH. XXXIII. II.

**T**extus Hebraeus: **חַי אֲנִי נְאֻם אֲדֹנָי יְהוִה אֲנִי אֲחַפֵּץ בְּמֹת הַרְשָׁע כִּי אֲנִי בָשׂוּב רָשָׁע מִדְּרָכֹו וְחַיָּה:**

Latinus Vulgatus: *Vivo Ego, dicit Dominus Deus; nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, & vivat.* B. Lutheri Versio Germanica: **So wahr als ich lebe / spricht der HERR: Ich habe keinen Gefallen am Tode des Gottlosen / sondern daß sich der Gottlose bekehre / von seinem Wesen / und lebe.**

1. Post Aeternam Vocationis Oeconomiam, progredimur ad Aeternam Gratuitae Conversionis Oeconomiam, cum certum sit, (1) vocationem non esse simpliciter inefficacem, sed veram efficaciam secum habere, dum est divina vocatio per verbum, quod verbum nunquam simpliciter est infructuosum, sed in aliquibus semper fructuosum, Esa. LV. 10. 11. nam Deus ipse dicit: *quomodo descendit imber, & nix de caelo, & illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, & infundis eam, & germinare eam facit, & dat semen ferenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet, quacumque volui, & prosperabitur in his, ad quae misi illud: jam autem post vocationem immediate nulla prior dicitur operatio, quam conversio. (2) Conversionem cum aversione coherere: nam ubi datur aversio, nulla datur ibi conversio, vice versa, quando, & quamdiu datur aversio, nullum ibi locum invenit conversio: jam a. immediate coheret conversio cum aversione: per aversionem homo cum Diabolo, sed per conversionem cum Deo dicitur esse: quamprimum cessat ad Deum conversio, statim incipit ad Diabolum aversio: quamprimum etiam definit aversio a Deo, statim incipit spiritalis ad Deum conversio. Haec duo se mutuo ponunt, & tollunt, cum aversione posita, removeatur conversio, posita vero conversione, cessat*

▲

6719

## DE ÆTERNA CONVERSIONIS

*aversio.* (3) *Conversionem cum vocatione conjungendam esse, dum Verbum, magnetis instar, trahit aversos, vel à Deo, vel ad Diabolum, adeoque sic est primum, immediatum, proximum, & adequatum, sive principium, sive medium conversionis, quod etiam immediate, post se conversionem requirit: sicut ergo præcedenti Dissut. egimus de Vocationis Oeconomiam, sic statim Conversionis Oeconomiam ad manus sumere debemus.*

2. *Hanc Æternam Gratuitam Conversionis Oeconomiam potissimum ex Loco Classico, Ezech. XXXIII. II. considerare volumus, imprimis quia cuncta verba latè convenientia sunt, sicut ex seqq. luculenter apparebit. Ex hoc autem loco notabimus I. Æternæ Conversionis Oeconomiam Existentiã, II. Æternæ Conversionis Oeconomiam Essentiã, III. Æternæ Conversionis Oeconomiam Eminentiam, de quibus ordine nunc agendum.*

3. *Primum omnium Veram Existentiã Æternæ Conversionis Oeconomiam allegabimus, eamque prius generaliter ex aliis Scripturæ locis, præter nostrum textum, explicare possumus. Probamus hanc, (1) ex praxi prima, quia praxin hanc Deus statim post lapsum apud Protoplastos adhibuit, & primum eos vocavit: Adam, Adam, ubi es? Gen. III. 9. postea statim eos convertit, cum sine conversione nullam, apud Deum gloriosum, gratiam, nullam peccatorum veniam, nullam in regno gratiæ locum invenire potuissent, (2) ex praxi continua, quia cunctis sæculis Veteris Testamenti nullam aliam consuetudinem Deus apud omnes populos, Judeos, & Gentes observavit, quam ut homines vocaret, & per verbi vocationem eos ad veram conversionem præpararet, sicut patet ex Exemplo Melchisedeci, vel concionum ejus, Ninivitarum apud Jonam. &c. (3) ex praxi primaria, quia certum est, quod primaria praxis tempora Christi respiciat, quia non unquam ullus vel major, vel melior, vel efficacior, vel convenientior Dispensator Vocationis extitit, quam ipse Messias, æternus Dei Filius; hic autem primam suam Vocationem statim ad penitentiam & Conversionem direxit, inquam, Matt. IV. 17. Penitentiam agite; nam appropinquavit regnum calorum, Marc. I. 15. Penitentiam agite, & credite.*  
*Evan.*

OECONOMIA. EX EZECH. XXXIII. II.

*Evangelio*: quinimo non tantum in principio, sed etiam in medio, & in termino suae praedicationis semper auditores suos ad penitentiam, & conversionem vocavit, quemadmodum patet ex dulcissimo illo Venite, c. XI. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, ego reficiam vos. Conf. Matt. IX. 2. 6. 13. XLIX. 23. Luc. XV. 1. XXIV. 47. &c. (4) Ex praxi Apostolica, quia nihil aliud in vocatione sua praedicarunt, quam penitentiam, & veram conversionem, Apostoli quemadmodum certum est ex prima Concione Petri pentecostali, Act. II. 38. Penitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum: & ex ultima concione solenni Petrina, Act. X. 43. Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere, per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. Conf. c. XX. 21. & passim alibi. (5) ex praxi succedanea, quia cunctis Ecclesiae primitivae seculis, in hominum vocatione, Doctores Ecclesiae primum conversionem, veramque penitentiam attenderunt, quod proluxe demonstrari posset, nisi res omnis in vado versaretur. (6) Ex praxi moderna. (7) Ex praxi futura. (8) Ex praxi Catholica. &c.

4. Deinde specialiter etiam hanc Existentiam ex textu nostro deducimus, & quidem, (1) Veram Conversionis Vocem, quae probatur (a) ex conversionis mentione, quia disertae conversionis sit mentio, quae clare satis ostendit, quod h. l. de natura conversionis agatur. (2) ex trina conversionis repetitione, quia non semel, nec bis, sed trina vice verbum conversionis repetitur, quae trina repetitio, cum primis quoad unicum versiculum, perfectionis & perfectae demonstrationis est nota. (3) ex conversionis praeparatione, quia diserte dicitur, Convertimini. (4) ex praeparationis iteratione, quia dicitur, Convertimini. Convertimini. (5) ex impii, vel subjecti Conversionis conditione, cum  $\Psi\Omega$  nomen satis notabile sit, & commotionem, cum rebellionem conjunctam respiciat, quae veram aversionem importat, adeoque conversionem postulat; talis igitur convertendus, & ad Deum per veram penitentiam reducendus est, (6) ex via determinatione, quia dicit Oraculum, quod impius a via SUA sit convertendus, adeoque versatur non in via Dei, sed Diaboli, non in via

## DE ÆTERNA CONVERSIONIS

*peccata, sed corrupta, vel erronea, non in via concreata, vel etiam præscripta, divinitusque promulgata, sed in via SUA, quæ sit vel sue inventionis, sue volitionis, sue consultationis, sue electionis, sue transgressionis, sue pariter à Deo digressionis, sue propriæ, vel peccaminosæ operationis. &c.*

5. (2) *Æternam Conversionis ἀϊκωνομία*, quæ pariter colligitur, (1) *ex æterno decreto*, quia cuncta verba præsentis Oraculi non tam *externa, vel temporalia*, sed potius *æterna* respiciunt, dum *firmum* divinæ voluntatis *propositum* inferunt, quod *propositum* divinæ voluntatis citra dubium est *æternum*. (2) *ex æterno verbo*, quia quod Deus h. l. dicit, illud etiam ab *æterno* dixit, cum Deus in *æternis* suis non sit *mutabilis*. (3) *ex æterno juramento*, dum hæc, *Vivo Ego*, dicitur, juxta scripturam, quædam quasi divini *juramenti formula*. Licet enim Deus apud *majorem, & superiorem*, jurare non possit, cum ipse *Summus* sit, & *Maximus*, tamen apud *Vitam* suam certo modo *jurare* voluit: *jurat* vero Deus non in *tempore*, sed in *æternitate*. (4) *ex æterno objecto*, videl. *ratione Dei*, quoad *signum* divinæ *rationis*, quia *conversionis* nobis destinatum *decretum* est, & manet *æternum decretum*, cum Deo nulla conveniant, nec ullo modo proprie convenire queant *temporalia decreta*.

6. Ab *Existentiâ* digredimur ad ipsam *Essentiam Æternæ Conversionis Oeconomias*, quam in *causis* potissimum contemplabimur, dum omnes *causæ* nobis in *Oraculo* præsentis non obscurius exhibentur, nim. I. *Efficiens Causa Æternæ Conversionis Oeconomias*, II. *Causa Materialis*. III. *Causa Formalis*. IV. *Causa Finalis*, hujus *Æternæ Conversionis Oeconomias*.

7. *Efficiens Causa* non unius *Generis* est, hinc in *Oraculo* cernimus, partim *Efficientem Causam Principalem*, quæ dicitur *Adonai Jehovib*, quod nomen frequenter ab *Ezechiele* Deo tribuitur, & h. l. pariter adhibetur. Est autem nomen *augustum Dei Trinumini*: nam, ut sæpius à nobis demonstratum est, Deus *Eidem Catholicam* de seipso, quæ (juxta *S. Athanasium* hæc est, ut *Unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur*), etiam *distinctis nominibus* inculcare, vel commendare voluit: Sicut enim *Jehova Elobim* primum *absolute* revelatum in *historia Creationis*, Gen. II.

4. seqq.

OECONOMIA. EX EZECH. XXXIII. II.

4. seqq. quod notat *Deum Unitivum*, vel *Unum*, in *Trinitate*, videl. *Unum*, quoad *Essentiam*, quia primum dicitur *Jehova*, & *Trinum*, quoad *subsistentiam*, quia postea vocatur *Elobim*; sic etiam ratione *vocationis*, *conversionis*, *fundationis Ecclesie* ratione V. T. primum alterum nomen augustum *Adonai Jehovib* relative productum, Gen. XV. 2. &, quod notandum, non à *Deo*, sed ab *Abrahamo*, quo respectu magis *relativum* induit statum, & hinc à nonnullis *Messie* peculiariter *appropriatur*, propter *Sacrosanctam Trinitatem*, quæ, tanquam *summum Mysterium*, omni *natura* prorsus, quoad *apodixin*, absconditum, respectu *Messie* postliminio sit patefactum, nim. quod *Deus Adonai*, quoad *subsistentiam Trinus*, cum hoc nomen *plurale* sit, & quoad *essentiam Unus*, dum postremo *Jehovib* vocatur.

8. Voluit autem h. l. *Deus* magis nomen *Adonai Jehovib*, quam alterum *Jehova Elobim* adhibere, (1) quia non tam *absoluta*, quam *relative Mysteria*, *conversionem*, & *salutem nostram*, respicientia, per *Prophetam* hic proponit. (2) quia non tam à *priori*, quam à *posteriori* procedit: à *priori* dicitur procedere, quando *divina secreta* directe per *semetipsum* proponit: adeoque sic ab *unitate essentia*, per *SS. personarum Trinitatem*, ad nos homines se convertit; sed à *posteriori* procedit, quando *mysteria*, quæ nostram *salutem* concernunt, ita producit, ut *terminus à quo* peculiariter ab *hominibus* desumatur, qui sic progrediuntur ad *Deum*, ut primum accedant ad *Personas*, & sic perveniant ad eminentissimam *essentiam*. (3) quia nulla datur nostra *conversio*, nisi per *Spiritum S.* & ejus salutarem per *Verbum energiam*, in *Filio Dei redemptore*, & *mediatore* nostro, respectu *gratia Paterna*; quomodo *personas* respicimus, & *Deum unum*, quoad *Essentiam*, nostrum facimus. (4) quia nunquam in hoc capite nomen, *Jehovam Elobim*, adhibet, ergo nec hic per *Spiritus Sancti ductum* illud, sed potius nomen *Adonai Jehovib* adhibere *Propheta* voluit, quod non *semel* in hoc capite reperitur, ut inter hunc *versiculum*, & reliquum *contextum*, eò major convenientia deprehenderetur (5) quia certum, quod in *Mysterio Conversionis* omnes personæ sint *operose*, *Pater* sua *gratia*, *Filius meriti* salutaris abundantia, *Spiritus Sanctus* spirituali pariter *ener-*

## DE AETERNA CONVERSIONIS

*gia*: quia de causa *Spiritus S.* magis vocabulum, vel Nomen divinum, primum ad personas respiciens, hic introduxit.

9. Si vero paulo plenius, juxta *praesens Oraculum, Efficientem causam Aeternae Conversionis Oeconomiae* explicare volumus, distincta ratione *Conversionis* hanc *Oeconomiam* ad Deum referre, non modo possumus, sed etiam debemus, & quidem (1) ἑστὴν ὁμῶς, quia hoc in versiculo 11. non tantum nomen *Adonai Jehovih* legitur, sed hic loquens ad *precedentem* refertur, quando prima verba sonant, *Dic ad eos*, in hujus Orationis quasi *praefatione*. Hic autem loquens vocatur *Jehova, v. 1.* & quidem *semel tantum* in toto *precedente textu*, quoad *expressum titulum Deum*, ita nominatur, nec aliud Nomen, quam *Jehova*, producitur, ut ad ipsam *essentiam* respectus habeatur, adeoque *Conversionis* haec *Oeconomia* recte refertur *essentialiter ad Deum*, (1) quia Deus in *precedentibus* solum *Jehova essentiali* suo nomine producitur. (2) quia nullum aliud nomen, quam *essentiale, Dicentis* introducitur. (3) quia hoc τὸ *Dicere* pariter in sequentibus ad *Jehovam* refertur, v. 23. & non tantum ipse *Jehova* locutus est, sed v. 22. idem *Jehova*, dicitur *os prophetae* singulariter *aperuisse*, vel eum loqui fecisse. (4) quia tota *Oratio* est *Essentia*: Dicit, quoad *Essentiam, Vivo Ego*. (5) quia tum *aversio* peccatoris respicit *divinam Essentiam*, νομοθεσίαν, & *obedientiam*, summo Numini debitam, quam *aversionem* peccator, juxta *praesentem Oeconomiam*, abjicere, peccata sua cum eorum autore, Diabolo, deferere tenetur: tum ipsa *conversio* respicit ad *essentiam Dei*, dum ad *Dei legem*, ad *Dei voluntatem*, ad *Dei sanctitatem*, ad *Dei justitiam* respicere debemus, quae certe sunt *essentia*, nim. ut sub *patrocinio misericordiae*, per *Christum Jesum, Redemptorem nostrum*, ejusque perfectam *obedientiam*, vera *fide* vel *apprehensam*, vel *applicatam, justitiae* severitati satisfacere queamus.

10. (2) ἑστὴν ὁμῶς, & quidem, tum *conjunctim*, quia *tribus* vice fit *nominis pluralis*, & *Symboli Trinitatis*, repetitio *primum* h. l. deinde v. 17. & demum v. 19. *ter* enim in hoc Capite Vox *Adonai*, numeri *pluralis*, respectu *Trinitatis* invenitur, & (a) quoad v. 11. res est manifesta, quod hic ad *tres personas* respectus habeatur

tur



OECONOMIA. EX EZECH. III. II.

tur, cum *Adonai* nomen plurale rō *Jehovih* nomini essentiali conjungatur, & eidem contradistingvatur: jam ordinariē, quando nomen *Unitatis Essentia*, cum nomine plurali divino, conjungitur, illud essentialē *Unitatem*, hoc *personalem Trinitatem* indicare dicitur. (b) v. 17. sicut & (c) v. 20. de *via Adonai* sermo, quam *viam homines* ambulare, vel observare debent, licet potius injustas, & iniquas vias hominum ambulare velint.

II. Tum *distinctim*, sic *Æterna Conversionis Oeconomia* tribuitur, (a) *Deo Patri*, tum quia *Dei Patris* cor ab æterno nobis miseris peccatoribus benè voluit: tum quia, per, & propter *Misericordiam*, miseris hominibus destinavit veram *conversionem*, quæ misericordia passim æterna prædicatur; tum quia mittit h. l. *Filiam hominis*, Prophetam *Ezechielem*, quem variis de causis hoc nomine designat, & in eo *Messia*, seu *Filii hominis* כא' עֶזְרָא תִּי-פִי presentat, tanquam *Conversionis Ministrum*, & *preconem*: *Filia* autem ad *Patrem* respectum importat; tum quia *mandata conversionis* hic urget, *Convertimini, Convertimini*: *mandata* v. proponere certā quædam *Patris* proprietates est; tum quia *Filium hominis*, *Conversionis Oeconomum*, mittit ad *Domum Israelis*: quare *moriemini Domus Israel*: jam vero *Patrisfamilias* est, *Domum* habere, *domui* prospicere: *Deus Pater* autem plerumque *Patrisfamilias* in *Sæcis* comparatur; tum quia *juramenta* quoque communiter in *sacris* ad *Deum Patrem* referuntur, sicut ipse *Christus*, *Angelus increatus* testatur, qui stetit tanquam *Mediator super mare & terram*, & levavit manum suam ad cælum, & juravit per viventem in *secula seculorum* (vid. per *Deum Patrem*) qui creavit cælum, & ea, quæ sunt in eo, sicut *Deus Pater* creator, tanquam in throno sedens alias *Agno* contradistingvitur, & *Pater*, tanquam *vivens in secula seculorum*, introducitur, c. IV. 9. 10. 11. c. V. 1. 6. 7. 14. tum quia *Patris* est, *solicitam agere curam*, pro *filiorum vita*, contra *filiorum mortem*, quod h. l. de *Deo Patre* notatur statim in *principio capitis*, ubi *Propheta* dicit: *Factum est verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, loquere ad Filios populi tui.* Conf. v. 12. 17. 30. tum quia hic *Adonai* multis respectibus, & vere verbis omnibus ad *Deum Patrem*

*Patrem*

## DE ÆTERNA CONVERSIONIS

*Patrem* peculiariter appropriatur, nec ullum vel *missionis*, nim. *patris*, vel ex *missione dispensationis*, sicut in v. 17. & 20. qui *Filium* & *Spiritum S.* respicere videntur, hic sit indicium.

12. (b) *Deo Filio, tum*, quia *Filius* est λόγος *Patris*, & oraculo nostro verbis *immediatis*, hoc v. 11. præmittitur: *Dic* (Ezechiel) *ad eos*, nim. *filios Israel*; *tum* quia *Filius* est καὶ ἐξοχὴν *Israel*, qui luctatus est cum *Deo* scil. *Patre*, ceu *judice* vel *immo*, vel *justo*; *cujus typus Jacobus* fuit, qui primus hoc nomine fuit appellatus, Gen. XXXII 28. *tum* quia *Filius* peculiari ratione dictus est *Deus Israel*, qui *patriar.* hæc *visibili* forma vocavit, *Jacobum Israelem* ob *luctam* d. l. primum hoc nomine salutavit, *populum Israeliticum* tanquam *Angelus* in rubo, Exod. III. 2. *magnitudine* vel etiam *multitudine miraculorum*, de potestate *Pharaonis* ex *Ægyptiara* *servitute* liberavit, instar *Comitis*, & *Ducis*, in *columna nubis* & *ignis*, perpetuo suam præsentiam manifestavit, & tanquam *Princeps Exercitus Domini*, Jos. V. 14. pro suo populo pugnavit, *populos Canaanos* fugavit, & exterminavit, imò totam *Ecclesiam* in terra *Canaan*, instar *vitis*, ex *Ægypto* sapienter allata, plantavit, Pl. XXC. 9. ubi tanquam *Jehova Zebaoth*, vel *Exercituum*, introducit, & hoc ipsi tribuitur: *Domine Exercituum, Vineam*, (Heb. *Vitem*) *de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, & plantasti eam, Dux itineris fuisti in conspectu ejus, & plantasti radices ejus, & implevit terram:* *tum* quia *Christus* est *Vita*, Joh. XI. 30. & XIV. 6. & ipse quoque dicit: *Vivo ego*, Joh. VI. 57. & XIV. 19. & Apoc. I. 18. semetipsum vocat *Vivum*, & *viventem in secula seculorum*, inquit: *Noli timere; Ego sum primus, & novissimus, & VIVUS, & fui mortuus: & Ecce, sum VIVENS in secula seculorum, & habeo claves mortis & inferni:* *tum* quia *Filius* est *principalis Consiliarius*, *principalis Patriarius*, *principalis Oeconomus*, *principalis Apostolus*, &c. nostræ *conversionis*: *tum* quia *secundus Adonai*, v. 17. ad *Filium* non inconvenienter refertur, *partim* quia *respectus* habetur ad *peccatorum expiationem*, ac eorum non *imputationem*, v. 16. *partim* ad *viam Domini* verbis *immediatis*, quæ dicitur ipse *Messias*, Joh. XIV. 6. & ipse fuit *in via*, tanquam *noster præcursor*, Heb. VI. 20. *quam ipsi præ.*

præ.

OECONOMIA. EX EZECH. XXXIII. II.

præparavit *Johannes Baptista*, Esa. XL. 3. Malach. III. 1. Luc. I. 17. 76. III. 4 &c. Hæc *Via Domini* dicitur ipsa *Penitentia*, vel *conversio hominum*, Luc. I. 17. quam prædicavit *Johannes*, Matt. IV. 1. *Penitentiam agite: nam appropinquavit regnum celorum*, & idem ipse *Filius Messias* repetit, c. IV. 17. & per totam vitam nihil aliud, quam *penitentiam* prædicavit, sicut ejus apud *Evangelistas dicta*, vel *acta*, testantur, Marc. II. 17. ubi dicit: *Non necesse habent sani medico, sed qui male habent: non enim veni vocare justos, sed peccatores ad penitentiam.*

13. (c) *Deo Spiritui Sancto*, tum quia peculiariter ei tribuitur omnis *sanctificatio*, sicut *Patri Creatio*, *Filio redemptio*: jam vero *conversio*, pertinet ad *sanctificationem*: tum quia propheta, ceu *Minister conversionis* hic mittitur, & *divinitus* adhibetur: *Dic ad eos* (filios Israel): propheta v. non ex sua voluntate, sed *ἵνα ἔπιβουλεύσῃ* *ἀγία Πνεύματι*, locuti sunt, II. Pet. I. 21. tum quia *Spiritus S.* est *Spiritus vitæ*, Rom. IX. 2. *Spiritus regenerationis*, & *vitæ collationis*, quia *regeneratio* nihil aliud est, quam *vitæ spiritualis collatio*, Joh. III. 6. Tit. III. 5. *Spiritus adoptionis*, Rom. IX. 15. &c. tum quia *Spiritus* est *novus Spiritus conversionis*, sicut mox noster propheta sequenti, c. XXXVI. 25. seqq. docet: *Effundam super vos aquam mundam* (Spiritus S.) *Et mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris, Et ab universis idolis mundabo vos: Et dabo vobis cor novum, Et SPIRITUM novum ponam in medio vestri, Et auferam cor lapideum de carne vestra, Et dabo vobis cor carneum, Et SPIRITUM MELLIS ponam in medio vestri, Et faciam, ut in præceptis meis ambuletis, Et judicia mea custodiatis, Et operemini, &c.* tum quia *conversio* dicitur fieri per *verbum*, cujus *revelator, Doctus, & Ductor*, est ipse *Spiritus S.* Joh. XIV. XV XVI. ubi sæpius hoc asseritur, & per totam *Scripturam* idem ostenditur: tum quia *tertius Adonai*, v. 20. *Spiritui S.* non inconvenienter appropriatur *partim* quia de *immediata conversionis Oeconomia*, vel *ἐγγασία* dicitur ibi sermo fieri, juxta v. 19, *Cum recesserit impius ab impietate sua, feceritq; judicium & justitiam, vivet in eis; partim*, quia *recta via* dicitur *Spiritus Sancti*, qui *deducit nos, vel conversos, in via recta*, Ps. CXLIII. 10. non

B

conver-

## DE ÆTERNA CONVERSIONIS

*conversos autem per verbum ducere vult ad viam rectam; tum quia Spiritus est Doctor Epanorthoticus, & Elencticus, Job. XVI. 8. qui mundum arguit de peccato, de justitia, & de judicio. talis etiam hic v. 20. legitur epanorthosis: Et dicitis: (Vos, nim. Filii Israel,) Non est recta Via Domini: hoc autem graviter hic per Spiritum S. Adonai redarguentem, corripitur: partim, quia Spiritus est judicii, Esa. IV. 4. propterea dicit h. l. Unumquemque juxta vias suas JUDICABO de vobis, Domus Israel. Hæc autem omnia suo modo quoque respiciunt Æternam Gratiolam Conversionis Oeconomiam.*

14. Respicit autem Æternus Conversionis Oeconomus, non ad Conversionem immediatam, & absolutam, sicut Reformati volunt, sed ad mediatam, & ordinatam, ideo, juxta textum nostrum, prævidit, (1) Intermediam Causam Verbi, quod Verbum dicitur, alias Verbum Conversionis, & verbum penitentiale, hoc autem, tanquam geminum hic introducit: aliud legalis voluntatis, quod est verbum mandati: *Dic ad eos, & ex lege mea peccatorum iniquitatem ostende, dum ex lege dicitur agnitio peccati, Rom. III. 20. ex lege peccata redargue, quia Moses, & lex, peccatores accusant, sicut Christus inquit, Joh. V. 45. Est, qui vos accusat, Moses, quia lex non potest peccata non redarguere: ex lege Dei vindicis iram urge, quia lex iram operatur, Rom. IV. 14. ex lege comminationes, maledictiones, condemnationes, cordibus peccatorum impone, quia, juxta Paulum Gal. III. 10. quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt: scriptum est enim, Deut. XXVII. 26. Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea: aliud Evangelica voluntatis, vel gratuite promissionis, quo pertinent reliqua præsentis Oraculi commata, nim. (a) Verbum Evangelicæ, seu vivificæ, contestationis, quod ostenditur primis verbis: *Vivo ego, dicit Adonai Jehovih: vitam nostram insinuans per ardentissimum sui desiderium. Nam hic vivens Deus, vita Deus, nos etiam vult vivos, & vita penitentiali, vel spiritali præditos, & nos omnes in ipso vult esse viventes, quam vere vivo, tam sincere vos vivere volo. (b) Verbum Evangelicæ sanationis, quia sua gratiosa, vel Evangelica voluntate solenniter prætestatur, se nolle**

*mor-*

OECONOMIA. EX EZECH. XXXIII. H.

mortem impii, vel peccatoris, se non delectari morte morientis, sed omnem medelam, omne remedium impietatis per verbum allaturum, & applicaturum esse, medici prudentis, vigilantis, consolantis, laborantis instar. (c) Verbum Evangelicæ conversionis, quia volo, volo promissa, vere gratiosa, semper operosa voluntate, peccator ut convertatur à via sua, nim. à via suæ prave corruptionis per originis peccatum, à via suæ prave intentionis, per corruptum intellectum, à via suæ prave inclinationis, quoad corruptum affectum, à via suæ prave voluntatis, vel electionis, per corruptam voluntatem, à via suæ prave constitutionis, quoad corruptum mentis, & voluntatis propositum, à via suæ prave locutionis, vel etiam de peccato gloriationis, quoad corruptum eloquium, à via sua prava, vel malitiose operationis, quod id ipsum actum corruptum, à via totius prave vitæ, quoad corruptum studium, & continuum peccandi processum. (d) Verbum Evangelicæ, vel actualis vivificationis, quia subjungit, & vivat: nam quamprimum mors peccatoris tollitur, vitæ pænitentialis oritur, mortis spiritualis sublatio, vitæ spiritualis collatio, mortis terminatio, vitæ spiritualis inchoatio, mortis mors spiritualis, est vitæ vitæ spiritualis.

15. (2) Intermediam Causam Ministerii, quia Deus primarius Autor Conversionis non per seipsum vult semper immediate conversionem expedire, nec Angelos, tanquam ordinarios conversionis Ministros, adhibere; sed potius hic alloquitur Filium Hominis, Prophetam Ezechielem, quem trina vice nominatim hoc titulo, vel his verbis in precedentibus allocutus erat, v. 2. Fili Hominis, loquere ad Filios populi tui, v. 7. Ertu Fili hominis, Spectatorem dedite Domui Israel, audiens ergo ex ore meo annuntiabis sermonem eis, ex me v. 10. Tu ergo Fili hominis, dic ad Domum Israel: & hoc ultimum regit etiam nostrum oraculum, v. 11. propositum: Dic ad eos. Trina vice pariter in sequentibus hunc Conversionis Ministrum, & Praeconem sic alloquitur, v. 12. Tu itaq; Fili hominis, dic ad Filios populi tui: sic ergo notatu dignum, quod ad hanc Conversionis Oeconomiam, v. 11 propositam, constituatur Minister in v. 10. precedenti nominatim. Tu Fili hominis: nominatim etiam producat, v. 12. immediate sub-

## DE ÆTERNA CONVERSIONIS

*sequenti. Tu Fili hominis: nec negligatur in ipso, v.11. licet mandato suo Deus ipsum includat, Dic ad eos; quo conversionis Autor principalis indicare voluit, Mandatum suum esse mandatum Praeconis, vel Legati, Mandatum etiam Legati, vel Praeconis, ille Mandatum Regis principalis. Item v.24. Fili hominis, qui habitant in vastatis illis locis terrae Israelis loquentes ajunt: Unus erat Abraham, &c. deniq; v.30. Et tu Fili hominis, filii populi tui loquuntur de te juxta maturos, &c. Hæc omnia nostræ conversioni varia monita darent, si modo talia notare possemus. Hæc omnia cum juramento Dei conjunguntur, adeoque secundum divinum intuitum ad æternam Conversionis Oeconomiam referuntur.*

16. *Causa Materialis Æterna Conversionis Oeconomias in Oraculo nostro pariter attenditur, tum quoad eminentem respectum materie ex qua, sic hæc Oeconomia Conversionis Æterna, secundum verba, constat partim Oeconomico juramento, Vivo Ego; partim Oeconomico asserto: nolo mortem morientis, &c. quia Dei dictum factum: vel etiam firmissimo juramenti decreto, quod immanens, & in voluntate Dei manet, quia Dei Decreta sunt actus divina voluntatis; & certissimo voluntatis statuto, quod ad extra respiciens, vel transiens; idque rursus Geminum, vel negativum, Nolo mortem impii: vel affirmativum, volo, ut convertatur impius, à via sua, & vivat. Si quis signa divinationis hic ordine conjungere veller, constaret æterna conversionis Oeconomia, partim ex intellectu, sapienter Oeconomiam conversionis, ab æterno sciente, vel disponente; quia prævisionem, & dispositionem supponit omnis æterna Dei Oeconomia: partim ex voluntate liberrima, talem Conversionis Oeconomiam decernente; partim ex decretali statu, juxta decretum operante, & specialiter, ad actus externos respiciente, quæ relativa operatio hic constat, tum ex nolle, tum ex velle; quoad nolle, non vult Deus mortem impii; quoad velle Deus idem vult conversionem, quoad utrumque terminum, partim quoad terminum à quo, nimirum ut convertatur impius à via sua mala, tum quoad malum naturæ, tum quoad malum vitæ, quod posterius hic peculiariter, & distincte respicit: partim quoad terminum ad quem, & vivat, nimirum bona, vitæ spirituali, vitæ in Deo, vitæ in Christo. &c. 17.*

OECONOMIA. EX EZECH. XXXIII. II.

17. Tum quoad eminentem respectum Materia in qua, quæ dicitur alias Subiectum, quod respectu æterna Conversionis tantum unicum est, nimirum Ipse Deus, qui tum *inchoative*, tum *terminative* consideratur, *inchoative* dicitur hæc *Oeconomia Dei* quoad *Essentiam*; *terminative*, quoad *ultimatam subsistentiam*, quia *personæ* suo modo *suppositæ* sunt *attributorum*, sic in *Patre* dicitur esse ratione *Conversionis Gratiæ*, in *Filio*, vel *Christo*, ratione *conversionis meriti*, seu *fundamenti*, in *Spiritu Sancto*, ratione *Conversionis energia per verbum*, & *Sacramenta Conversionem* operari volentis. Tum *Quo*, sic iterum *inchoative*, ratione *divinae mentis*, *conversio* dicitur *intellectus divini*, dum *mysterium conversionis* est in *divino*, vel *intellectu*, vel *sensu*; *terminative* dicitur in *voluntate*, cum *Oeconomia Conversionis* sit *decretalis*, *decreta* verò sunt in *voluntate* divina, sicut notissimum, unde quoque *Voluntatis* in *Oraculo* nostro diserte fit *mentio*, non modo quoad respectum *principii*, sed etiam *Subiecti*, plures attendere nolumus.

18. Tum quoad *Materiam circa quam*, quæ vocatur *Objectum*, & hoc *geminum* est, alterum *personale*, quod sunt *Impii*, vel *peccatores*, qui propter suam à Deo *malitiosam*, vel *illegalem aversionem*, rursus ad Deum *convertendi* dicuntur, & considerari potest hoc *Objectum*, (1) ratione *quidditatis*, sic *homines carnales*, qui caro sunt de carne, Joh. III. 6. vel *animales*, *spiritualibus* opposit, I. Cor. II. 14. vel *naturales*, post lapsum in corruptione naturæ considerati. Psal. LI. 7. quatenus in peccatis concepti sunt, & nati. (2) ratione *quantitatis*, ita singulariter quidem Deus loquitur, quoad nomen *Impius*, sed *pluraliter*, & quoad *pronomina*. Dic ad eos, item à *viis vestris pessimis*; item quoad *Verbum Convertimini*, *Convertimini*, loquitur, & sic ostendit, magnam dari peccatorum multitudinem, & majorem, quàm piorum. (3) *ratione qualitatis*, quia h. l. Deus non tam nude *naturales*, quàm *mentes*, intelligit *impios*, qui vid. in *gravioribus sceleribus* inveniuntur, hinc in *viis pessimis* ambulare dicuntur. *Impii* sunt hic καὶ ἐξοχῆν *impii*, dum in *viis pessimis*, iisque  *suis* commorantur.

19. Alterum *reale*, quæ ratione *Conversio* circa certos *terminos*

## DE ÆTERNA CONVERSIONIS

*minos versatur, qui multis respectibus in Oraculo nostro citantur, sed inquit plane, nec omnibus respectibus explicantur: nam (a) Conversionis terminus à quo dicitur Diabolus, cujus hic explicita non fit mentio, sed terminus ad quem, Deus, qui non tantum hic loquitur, sed peccatores etiam invitat. (b) terminus à quo, dicitur regnum ira, ratione transgressionis, sed terminus ad quem regnum gratie, quia per Deum ipsum peccatores hic ad gratie regnum invitantur. (c) terminus à quo, dicitur Mors, quia Deus non vult mortem morientis, sed terminus ad quem, Vita vocatur, quia DEUS vult, ut peccator vivat. (d) ratione Dei, dicitur terminus à quo, Non voluntas, quia Deus non vult peccatum, vel mortem, terminus ad quem ipsa Dei voluntas, quia vult justitiam, & vitam. (e) terminus à quo dicitur aversio à Deo, sed terminus ad quem conversio ad Deum. (f) terminus à quo dicitur via mala, vel etiam pessima, sed ad quem terminus dicitur è contrario via bona. (g) quia peccatum, vel impietas, dicitur terminus à quo, sed justitia dicitur terminus ad quem, dum omne peccatum est àvouià, vel àδύκία, I. Joh. III. 4. (h) terminus à quo, dicitur via nostra, seu peccatoris sed ad quem, est via Dei Creatoris, & Legislatoris. &c.*

20. *Causa Formalis aeternae Conversionis Oeconomiae, variis itidem modis considerari potest, pro diversitate relationis, cum nec ipsam Conversionis Formam cognoscere possimus, dum ingens regni caelorum Mysterium dicitur, multo minus aeternae Conversionis Oeconomias genuinam formam, ob nostrae mentis imbecillitatem, indagare poterimus, adeoque relationes potius, vel relativas formas attendere necessum habemus. (1) Ratione Dei consistit forma, tum in aeterno decreto, quia nihil fit sine Dei decreto: tum in Oeconomico decreti juramento, quia Deus non tantum nobis Conversionem decernere, sed etiam juramento nos de conversionis desiderio certos reddere voluit: tum in Oeconomico praecepto: Convertimini: Convertimini: tum in Oeconomico Conversionis facto, quia Dei dictum nihil aliud est, quam factum, & nisi Deus nos convertit, nos inepti sumus ad Conversionis actum, quia de Causa dicitur, Jerem. XXXI. *Converte me Domine, & Convertor.* (2) RATIO-*



OECONOMIA. EX EZECH. XXXIII. II.

*Ratione rei*, sic ad terminos respectus habetur, de quibus egimus, th. 18. nim. quoad terminum à quo, & ad quem. (3) *Ratione modi*, sic *forma* consistit, tum in *Dei nolle*, quia Deus non vult mortem, vel non delectatur morte impii: tum in *Dei velle*, quia Deus ipse vult conversionem impii: tum in *Dei facere*, quia DEUS vult non tantum, sed etiam dicit, & dicendo facit, vel efficit nostram conversionem. (4) *Ratione subjecti*, sic per *formam conversionis ex impio fit pius*, ex *injusto justus*, ex *averso conversus*, ex *filio Diaboli, filius Dei*, &c. (5) *Ratione Objecti*, sic *conversio* consistit tum in *viarum suarum derelictione*, tum in *viarum divinarum electione*, vel *observatione*; siquidem *viae male*, quæ nobis *proprie* sunt, & quas per *Conversionem* deserere debemus, juxta textum, describuntur (a) *ratione quidditatis*, quod *via Nostræ* sint, cum impius debeat, à *via SUA* converti, quæ *ratione viae* dicuntur *natura*, *naturæ corruptæ*, *naturæ propriæ*, *naturæ male*, *viæ connatæ*, *viæ secundum naturam corruptam* comparatæ, *viæ secundum propriam inventionem, electionem, delectationem*, &c. determinatæ, quæ directe vel Dei, vel divinæ legis viis opponuntur, (b) *ratione quantitatis*, ita non tantum in *singulari* dicitur, quod impius à *via sua* converti debeat, sed etiam in *plurali* statim additur à VIIS: *Dei viæ recta*, dicitur, & *unica*, *plana*, & sibi semper constans, *unica regula cogitatorum, dictorum, & factorum*, *via affectuum, & motuum interiorum*, *via pariter actuum, & effectuum exteriorum*; sed *via nostra* dicitur varia; quia sicut *verum* tantum *unum*, *falsum* autem, & mendacium *multiplex*, secundum illud, τὸ ἀληθὲς ἓν, τὸ ψεῦδος πολυχιδές; sic etiam *bonum* tantum *unum*, *malum* autem innumeris modis *varium*. (3) *ratione qualitatis*, sic dicuntur *peissime viæ*, non *male*, nec *peiores*, sed *peissima*, dum non in *positivo*, nec in *Comparativo*, sed in *superlativo*, notantur, & explicantur, id quod multis respectibus; nos saltem unum vel alterum allegamus, quia concernunt *infinitam Dei bonitatem, sanctitatem, justitiam*, &c.

20. *Causa Finalis* hic iterum vel est *Finis Cui*, sic *Impio*, vel *peccatori Conversio* destinata, tum quia, juxta Prophetam, impiis destinatur aeterna *Conversionis Oeconomia*. Sicut præsens oraculum

lum

DE ÆTERN. CONV. OECON. EX EZECH. XXXIII. II.

lum testatur; *tum* quia Impiis Israelitis hæc verba conversionis offeruntur, *Dic ad eos*, nim. Impios Israelitas; *tum* quia talibus impiis Deus, sub fide juramenti, desiderium conversionis promulgat; *tum* quia conversionis præceptum ad impios dirigitur; *tum* quia, juxta conversionis rationem propriam, impius *viam suam* deserere, *Dei viam* eligere, viam mortis vitare, viam vitæ sectari jubetur. Vel *Finis cujus*, qui dicitur vel *negativus*, nim. *Mors*, vel *mortis evitatio*, sicut Deus inquit: *Nols mortem*, nec *morte delektor impiis*: *tum Quare moriemini Domus Israel?* Sic igitur per *veram Conversionem* omnes impii *mortem*, imprimis *spiritualem*, & consequenter *æternam* effugere debent: vel est *positivus*, nim. *Vita*, *tum* quia Deus convertens, se vivere testatur, adeoq; nos etiam vult vivos, q. d. *Ego vivo, & vos vivetis*, sicut Christus dicit, Joh. XIV. 19. *tum* quia peccator per conversionem à morte liberatur; jam quicumque homo non est mortuus, ille vivit: *tum* quia diserte dicit Dominus, quod vera conversio tendat ad vitam.

21. *Eminentiam* denique hujus *Oeconomias æternæ Conversionis* conspicimus in illustrissimis *proprietatibus*, quoniam dicitur hæc *Oeconomia*, (1) *Divina*, quia Deus eam ab æterno constituit, & in tempore per verbum suum promulgavit. (2) *Certa*, quia hic Deus eam juramento stabilivit, & omnes peccatores certissimos reddidit. (3) *manifesta*, quia nunc in verbo, seu per verbum perspicuum promulgata, cum nihil obscuritatis in Oraculo præsentis reperitur. (4) *Gratuita*, quia peccatorum, vel impiorum est, qui, juxta præsens Oraculum, converti debent. (5) *Catholica*, quia cunctis impiis, vel peccatoribus destinata, dum nullus eorum simpliciter ab hac *Oeconomia Conversionis* excipitur. (6) *Jucunda*, dum *mortis* affert remedium. (7) *Fruëtuosa*, dum genuinum dicitur *vita spiritualis*, consequenter etiam æternæ, medium. (8) *Necessaria*, quia si Deus per æternam *Oeconomiam* nobis conversionem non destinasset, nec eam in tempore per verbum executus esset: jam autem quoad executionem ostenditur hic *necessitas præcepti, medii, scopi*, &c. (9) *Facillima*, quia Deus ipsemet operatur, (10) *Salutifera*, quia nobis vitam internam, & æternam offert.